



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

Prætermissi Vel In Alios Dies Rejecti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

I JANUARIH.

SANCTI QUI KALENDIS JAN. COLUNTUR.

<p>CIRCUMCISIO DOMINI, et OCTAVA NATIVITATIS. Commemoratio sacrosancti præputii Christi, Antverpiæ, et alibi.</p> <p>S. Gaspar, Rex Magus, in Oriente.</p> <p>SS. Martyres Syracusani sub Nerone, in Sicilia.</p> <p>S. Concordius Presbyter et Martyr, Spoleti in Umbria.</p> <p>S. Elnanus Episcopus, } in Anglia. S. Meduinus, }</p> <p>S. Martina, Virgo et Martyr, Romæ.</p> <p>S. Caius, } S. Jactus, } Martyres Bononiæ. S. Heraclus, }</p> <p>S. Victor, } S. Felix, } Martyres, in Africa. S. Narcissus, }</p> <p>S. Argyrus et Socii, } S. Primianus, } S. Saturninus, } S. Saturninus, } Martyres. S. Victor, } S. Honoratus, } S. Leucius, } S. Hermes, }</p> <p>S. Paracodas Episcopus Viennensis in Gallia.</p> <p>Sancti xxx milites Martyres Romæ.</p>	<p>S. Euphrosynus Episcopus, S. Priamianus, sive Prianus } Nicomediæ. et alii ix.</p> <p>S. Severus Martyr, Ravennæ.</p> <p>S. Evantus, } S. Hermes, } in Rhætia. S. Magnus Martyr.</p> <p>S. Theodotus Martyr.</p> <p>S. Gregorius, Episcopus Nazianzenus, pater S. Gregorii Theologi.</p> <p>S. Almachius, sive Telemachus Martyr, Romæ.</p> <p>S. Fulgentius, Episcopus Ruspensis in Africa.</p> <p>S. Mochua, sive Cuanus, Abbas Lægsiensis in Hibernia.</p> <p>S. Cronanus, sive Mochua, Abbas Ballensis in Hibernia.</p> <p>S. Agrippinus Episcopus Augustodunensis in Gallia.</p> <p>S. Eugendus Abbas monasterii S. Claudii, in Burgundia.</p> <p>S. Marinus, Abbas Lerinensis.</p> <p>S. Clarus, Abbas Viennensis, in Gallia.</p> <p>S. Stabilis Episcopus Arvernensis, in Gallia.</p> <p>S. Guilielmus Abbas Divione, in Burgundia.</p> <p>S. Clarus, Monachus, Salighenstadiensis, in Germania.</p> <p>S. Odilo Abbas Cluniacensis, Silviniaci in Gallia.</p>
---	--

PRÆTERMISSI VEL IN ALIOS DIES REJECTI.

S. Munchinus. *Excusum Kalendarium Sanctorum Hiberniæ. Idem est fortassis, qui in Vindictis Hibernicis Munchinus appellatur, diciturque Limerici celebris esse. Omittimus, donec major nobis aliunde lux affundatur.*

S. Tynas, cognomento Bonus, Scotus, ut Sanctus refertur a Ferrario in Notis ad generalem catalogum Sanctorum. *Ignotus nobis.*

Hugo Prior Majæ in Scotia, Sanctus memoratur ab eodem. *Hunc quoque omittimus.*

Albero I Episcopus Leodiensis, Beatus appellatur in Kalendario Sanctorum ditionis Leodiensis: et fuit vir pius, innocens, sanctus; ut videre est apud Ægidium monachum Auræ vallis tom. 2 Joannis Chapeville de gestis Episcoporum Leodiensium cap. 23 et alios rerum

Leodiens. scriptores. Obiit hoc die, an. 1228. Verum publicam aliquam venerationem ei exhibitam, nusquam legimus.

Ulricus Abbas Villarii in Brabantia, Beatus indigetatur a Chrysostomo Henriquez in Menologio Cisterciensi.

Petrus Abbas S. Mariæ de Armentera in Gallæcia, refertur hoc die et Beatus appellatur ab eodem Chrysostomo Henriquez. *Nobis non constat an colatur.*

Joannes Prior Domus Montis Corneli juxta Leodium, Beatus vocatur ab eodem Chrysostomo, et in sacrario Sanctorum patriæ Leodiensis. *Haud scimus tamen an uspiam ei cultus aliquis publicus deferatur, ideoque omittimus.*

Bernardus XII Abbas Cistercii. *Kalendarium Cisterciense*

- ciense editum Divione, et Chrysostomus Henriquez in Menologio Cisterciensi. Neque de hoc constat an ut Sanctum eum venerentur Cistercienses.
- S. Stephanus in Oriente, refertur in Martyrologiis MSS. vetustissimis Epternacensi et Rhinowiensis. Fortassis idem est, qui cum S. Vitale colitur 2. Januarii, de quo nos ii Januar.
- S. Aspasius Episcopus Elusanus. Molan. Ferrar. Mart. German. nos ii Januar.
- S. Adelardus Abbas Corbeiensis. Martyrologium Germanicum, et MS. Florarium Sanctorum, nos de eo agemus ii Januar.
- S. Melchior Rex Magus. MS. Florarium Sanctorum, nos vi Januar.
- S. Potitus puer xiii annorum Romæ. MS. Florarium. Idem est qui in Martyrologio Romano habetur xiii Januar.
- S. Severus Episcopus Ravennas. Maurolycus, aliique. De eo agemus cum Martyrologio Romano i Februar.
- S. Euphrosyna Virgo Alexandrina, hoc die a Martyrologio Romano, et aliis plerisque refertur. Vitam dabimus, quo die colitur a sacro ordine Carmelitarum xi Februar.
- S. Fulgentius Episcopus Utricularius. Galesinius, et MS. Florar. nos xxii Maii.
- S. Proculus Episcopus Interamnensis. Ferrarius et Galesinius. Colitur Bononiæ 1 Junii cum altero Proculo milite; Interamnæ vero 1 Decembris, quod eo die corporis ejus facta translatio fuerit. Nos de eo agemus i Junii.
- S. Basili Magni depositio hoc die celebratur in Martyrologio Romano, ceterisque omnibus; sed vitam ejus dabimus XVIII Kal. Julii, quo ordinatus fuit Episcopus, quo etiam præcipue colitur, xiv Junii.
- S. Servanus, alius Sernanus, Episcopus, Apostolus Orcadum, hoc die refertur a Ferrario; a Davide vero Camerario XX Aprilis; ab Adamo Regio in Kalendaro Scotico, MS. Florario Sanctorum, Carthusianis Coloniensibus in additionibus ad Usuardum excusis anno 1313 et 1321 et aliis, quos potius sequemur, i Julii.
- S. Ferrutius Martyr Moguntia. Ferrarius, qui putat hoc die agi ejus translationem, nam natalis 28 Octob. celebratur. Extat quidem translationis historia in Moguntiacis Serrarii nostri: sed neque quo die acciderit expressum est, neque, quos consulimus, Moguntini, hoc die quidquam ad ejus venerationem publice fieri meminerunt. Agemus igitur de eo xxviii Octob.

NOT. 1.

CIRCUMCISIO DOMINI

ET OCTAVA NATIVITATIS.

AN. CHR. I.

1 JANU.
Kalendæ
Januarii
celebres.

Præcipua semper religione celebrata a Christianis Kalendæ Januariæ sunt, propter Dominici Natalis octavam, sacrosanctæ Circumcisionis Christi memoriam, et augustissimum nomen JESU, in quo nimirum oportet omnes homines salvos fieri. Merito igitur veteres Romanos in auspiciando ab hoc die anno sequi Ecclesia maluit, quam ceteras gentes, quæ aliud quoddam statuerent exordium, ut ipse dies sacrum nostræ symbolum salutis præferret.

2 De ipsarum Kalendarum die, Gentilium ritibus, Christianorum jejuniis, litaniis, latis contrastrenas et profanum luxum legibus, multa erudite commentatur in Notationibus ad Martyrologium Baronius. De Circumcisionis vero mysterio, et sanctissimo Jesu nomine, plurimæ extant Sanctorum Patrum homiliae, multi recentiorum tractatus. Hic unicum dabimus Faustini Episcopi, habitum contra superstitiosos quorundam Christianorum mores, sermonem, quem hactenus (ut quidem remur) non editum ex vetustis Accincti monasterii monumentis eruit Petrus Franciscus Chiffletius noster. Tum de sacro Christi præputio quædam ab Heriberto Rosweydo nostro ex variis auctoribus et MSS. collecta subjiciemus.

FAUSTINI EPISCOPI SERMO

IN KALENDIS JANUARI

ex vetusto codice descriptus

a Petro Francisco Chiffletio Soc. JESU.

Dies Kalendarum istarum, fratres carissimi, quas Januarias vocant, a Jano quodam homine perdito et sacrilego nomen accepit. Janus autem iste Dux quondam et Princeps hominum paganorum fuit: quem imperiti homines et rustici, dum quasi Regem metunt, velut Deum colere cœperunt. Detulerunt enim ei illicitum honorem dum in eo expavescent regiam potestatem. Homines quippe stulti et ignorantes Deum, illos hinc maxime ex diis æstimabant, quos inter homines sublimiores esse cernebant. Ac sic factum est ut unius veri Dei cultus ad multa deorum, vel potius demoniorum, nomina transferretur. Diem ergo Kalendarum hodiernarum de nomine Jani, sicut jam dictum est, nuncuparunt: utique ut ei homini, cui divinos honores conferre cupiebant, et finem unius anni et alterius initium deferrent.

Kalendæ
Januariæ a
Jano dictæ.qui pro
Deo cultus:ei anni ini-
tium, et finis
dictus.Duæ ei facies
affictæ.

2 Et quia apud illos Januariæ Kalendæ unum annum implere, alium incipere dicebantur, ideo Kalendas istas in termino posuerunt: ut unum annum finire; alium incipere crederetur. Et hinc est quod antiqui idolorum cultores ipsi Jano duas facies figurarunt; unam ante ipsum, aliam post ipsum: unam quæ præteritum annum videtur aspicere, aliam quæ futurum. Ac sic homines insipientes duas ei facies deputando, dum eum facere Deum cupiunt, monstrum esse fecerunt. Hoc est, voluerunt in Deo suo esse principium, quod est etiam in pecude monstruosum.

sum.